



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

Pro se tantum orat nullus, sed pro omnibus ob commune vinculum charitatis, ideo, etsi quis immunis sit à peccato, verè dicit, dimitte nobis debita nostra, quia charitas non facit eum immunem, que cuncta bona & mala totius Ecclesie facit communia: Christus enim omnia nostra debita in se suscepit, & orabat, dimitte nobis debita nostra: si ergo, qui natura purus erat, & in quem peccatum cadere non poterat, sic orabat, cur & non Beata Virgo &c. Juxta illud Apostoli ad Galatas 6. alter alterius onera portate.

SECTION II.

Solvuntur Opposita.

833. **O**bjicies 1. Contra primam assertionem: si Christus Dominus fuisset prædefinitus in signo priori ante omnem creaturam, non fuisset prævisus procedens ab Adamo; sed fuit prævisus procedens ab Adamo utpote originem habens ex Adami posteris; ergo non fuit prædefinitus in signo priori ad signum Adami. Hoc argumentum eodem modo fieri potest circa Deiparam; unde eadem est pro utroque solutio. Respond. igitur dist. majorem non fuisset prævisus procedens ab Adamo vi solius decreti intentivi, sive in signo priori, concedo; vi decreti executivi, sive in signo posteriori, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia decretum intentivum, ut sæpe diximus, erat indifferens, ut Christus à solo Deo penderet, vel ut penderet à Parentibus, ex quibus progeneretur, quamvis esset quasi conditionatum, ita nempe, ut, si Adamus produceretur, & peccaret, atque Christus futurus esset Redemptor reparativus, non producendus esset à solo Deo dependens, sed à progenitoribus dependentibus ab Adamo: cumq; ista conditio ad implera fuerit, ea de causa per decretum executivum Christus non est positus dependens à solo Deo, sed procedens ab Adami posteris. Addit Bernal. disp. 18. sect. 2. Christum Dominum in vita sua mortali aliquando à solo Deo miraculosè conservatum esse quod saltè in media ostendit ad 40. dies, & noctes protracta in deserto, aliisque in circumstantiis ibi allatis. Reliqua argumenta, quæ contra hanc assertionem fieri possunt, meliùs solvantur responsionibus secundæ assertionis.

834. **O**bjicies 2. Contra secundam assert. ut constat ex Alexand. VII. & Ecclesie oratione adducta num. 817. Beata Virgo fuit præservativè redempta ab originali ex meritis passionis Christi; atqui si Adamus fuisset prædefinitus post signum Deiparæ, non potuisset Deipara redimi ex meritis passionis Christi; aliter passio Christi non subsequeretur signum Adami; ergo &c. Respondeo conc. maj. & nego min. quia cum vi decreti intentivi Beata Virgo fuerit ita decreta, ut DEUS acceptaret

merita Christi absolute prævisa à passione independentia, si Christus futurus non fuisset Redemptor reparativus; si verò futurus fuisset Redemptor reparativus, voluerit, ut ea merita passione & morte Christi consumerentur, & ista conditio adimplera fuerit, exinde est profus indubitabile, quòd Deipara, quamquam vi decreti intentivi decreta fuerit ante signum Adami, tamen vi decreti executivi sit vere præservativè redempta ex meritis passionis Christi; idcirco si Adamus non peccasset, Deipara fuisset præservata ab originali subverificatione alterius conditionis, sub qua Christus passus non esset; neque fuisset Redemptor reparativus defacto; non autem existit ea conditio, sed altera, sub qua Christus factus est passibilis, & accepit pactum consummandi sui merita ipsius morte & passione; unde defacto Beata Virgo ita præservativè redempta est ab originali, & etiam sancti Angeli ab originali peccato, ex num. 823.

Objicies 3. Ex Paulo ad Ephesios, ubi de Christo ait: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per JESUM Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue*: modò sic: quando Deus designavit electos ante mundi constitutionem, ut essent sancti, & præscivit, & prædestinavit illos; atqui juxta à nobis assignatam signorum seriem prior electionis constitutio mundi, & productio Adami, & postea electio, & prædestinatio electorum; ergo talis signorum series nequit sustineri. Respondeo conc. maj. & nego min. quia aliud est, quòd constitutio mundi fuerit prior executioni, & aliud, quòd fuerit prior electione prædestinatorum. Electio enim prædestinatorum fuit ab æterno, constitutio autem mundi, & productio Adami fuerunt in tempore: unde ex illo Apostoli testimonio male inferitur, quòd prior fuerit mundus constitutus, & productus Adamus, quam fuerint electi illi qui prædestinantur; licet executio glorie deest multò post mundi constitutionem, & Adami productionem. Quamobrem in hoc argumento magna intercedit æquivocatio, vi cuius non distinguitur decretum executivum ab intentivo, neque executio ab intentione. Videatur Card. de Lugo disput. 7. de Incarnatione sect. 2.

Objicies 4. Juxta illa Verba Genesis 2. *Hæc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* habuit Adamus, ut supra diximus, revelationem de Christo venturo; ergo vi illius revelationis cognovit Adamus, quòd ex ipso processurus erat Christus; ac proinde illa revelatio erat pro signo posteriori ad signum Adami; unde Adamus non fuit prædefinitus pro posteriori, sed pro priori ad signum Christi. Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ut supra diximus, ea revelatio fuit de Christo præscendente à carne passibili, vel impassibili.

& cum non fuerit pro posteriori, sed pro priori ad signū Adami, non potuit vi illius revelationis Adamus cognoscere Christum passibilem, vel ab ipso Adamo processurum: illa enim gratia ab Adamo acquisita ex assensu fidei præfinito tali revelationi potuit ab Adamo liberè conservari; unde fuit gratia componibilis cum conservatione status innocentiae: cum autem status innocentiae non argueret Christum passibilem, neque ab Adamo procedentem, exinde vi illius revelationis non potuit Adam cognoscere Christum passibilem ab ipso procedentem.

837. Obijcies 5. Juxta seriem à nobis constitutam in hoc secundo signo Adami, vi decreti producendi Adamum, nondum videret DEUS determinatè, sed indeterminatè aliquos ipsius posteros absolutè futuros, proindeque Deus non eos decerneret absolutè, sed ad summum quasi conditionatè; sed hujusmodi cognitio, & voluntas decernens repugnat DEO; ergo series hujus signi ut à nobis constituta repugnat DEO. Probatum min. Illa divina cognitio, & voluntas tendens ad indeterminatum præfert confusionem DEO repugnantem; ergo &c. Respondeo conc. maj. & nego min. Ad probationem nego antec. ratio est, quia Deus percipientiam simplicis intelligentiae omnia clare, & distinctè cognoscit, quin in eo signo verum sit dicere, quòd res potius erunt, quam non erunt; cum illud non sit contingentium, sed necessarium; unde si non addit signum contingentium includens determinatam contingentium veritatem, vel in ipsis, vel in causis, nondum sunt contingencia ut talia cognoscibilia; cum in eo casu nec in se, nec in alio sint cognoscibilia.

838. Cum autem ex vi decreti intentivi de producendo Adamo nondum addit connexio cum his determinatè potius, quam cum aliis, neque decretum DEI producendi hos potius, quam alios, nondum possunt cognosci absolutè futuri, nec in se, nec in alio, licet possint disjunctivè cognosci vi illius decreti quasi conditionati, nempe, quòd hi producentur, si Parentes casu, quo Christus passibilis sit, erunt per Christi passionem, & merita, vel non producentur, si non erunt: ex quo, cum Deus agnoscat in eo signo, quidquid est cognoscibile, & modo, quo est cognoscibile, eodèque pacto decernat, nulla est profus confusio, aut obscuritas in eo signo, neque ullus defectus, qui Deo repugnet; nam obscuritas, & confusio exinde procedit, quòd non detur cognitio cognoscens omnia, quomodo cognoscibilia sunt, neque volitio à tali volitione regulata; unde velle disjunctivè pro signo, pro quo datur indifferentia ad utrumque, nullatenus DEO repugnat.

839. Hæc aded certa sunt, inquit Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 3. & Aldrete disput. 18. sect. 3. ut omnes ita fateri teneantur: duplex enim est volitio præcisiva; altera, qua dico: volo aliquid equum tuum, non propositis ex parte objecti hoc vel illo distinctè, vel sub ratione e-

qui tui: altera propositis distinctè tribus equis, quos habes, peto unum ex illis disjunctim; quamvis ergo primus modus repugnaret Deo propter disjunctionem confusam; secundus modus, qui disjunctionem confusam, & imperfectam non habet, nequaquam repugnat. Sic DEUS petebat in Lege veteri par turturum, aut duos pullos columbarum, disjunctim quidem, sed non confusè, aut imperfectè: sic Deus distinctè prævidens posteros omnes possibiles, potuit independentè ab ulla conditione velle istos determinatè, alios verò non ita, sed sub aliqua conditione creaturæ libera; unde sicut Deus videns nostram potentiam indifferentem ad amandum, & non amandum, non videt pro illo signo determinatè existentiam amoris, nec determinatè carentiam amoris, sed exiturum amorem, vel carentiam amoris, quoniam existere unum ex illis est necessarium, existere verò hoc in particulari est liberum, & contingens; sic dicendum est de Adami posteris modo explicato. Videantur Herice disp. 23. de prædestinatione cap. 2. & Eximius Doctor Tom. 1. in 3. part. disp. 5. sect. 5. & disp. 11. sect. 2. Quod idem dicendum est de decreto intentivo Christi præscindente ab ejus passibilitate, vel impassibilitate.

840. Ob. 6. Ex hac nostra doctrina sequeretur, non peccasse aliquos Adami posteros, quando peccavit Adamus; tunc quando adimpletur conditio, & manent determinatè absolutè futuri; sed hoc dici non potest: ergo &c. Respondeo dist. maj. non peccasse, id est non extitisse tunc physicè totum illud, quod requiritur, ut posteri dicantur contrahere peccatum originale, conc. non extitisse formam moralem, qua inficiuntur, si existant, nego maj. & distincta minore nego consequ. Ratio est, quia nemo contrahit peccatum, nisi quando existit; unde cum illi posteri non sint prævisi absolutè existere, nisi adimpleta conditione subsequenti signum Adami, exinde non sunt prævisi absolutè contrahentes peccatum originale, nisi in signo subsequente signum Adami. Cæterum cum essent jam quasi conditionatè inclusi in Adamo tanquam in capite, ut peccatum ad ipsos transfunderetur, casu, quo Adamus peccasset, & ipsi producerentur, jam erat alligata omnium eorum posterorum voluntas voluntati Adami, ut casu, quo adimpleretur conditio, & ipsi producerentur, transfunderetur in ipsos justitia originalis, si Adam in justitia perseverasset, vel peccatum Adami, si peccasset; idcirco statim atque peccavit Adam, extitit tota ea forma moralis, qua postea infecti sunt.

841. Obijcies 7. contra tertiam assertionem: Christus Dominus ante tertium istud signum subsequens signum Adami, jam habebat naturam passibilem; ergo non fuit constitutus passibilis in isto tertio signo; aliter intencus fuisset præscindendo ab assumptione naturæ humanæ, vel Angelicæ, quod dici non potest. Respondeo, dist. antec. habet naturam passibilem radicaliter,

caliter, conc. formaliter, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia, ut dixi à num. 797. natura humana passibilis radicaliter est ipsa natura capax patiendi; cum autem primum decretum intentivum fuerit de assumptione naturæ humanæ, nunquam præscindebat à passibilitate radicali; at passibilitas formalis stat in ea natura capaci patiendi, & exclusione dotis impassibilitatis, qualem procul dubio habent Beati: cumque vi decreti intentivi præscinderetur à collatione, vel exclusione talis doni, ea de causa præscindebatur à passibilitate, vel impassibilitate formali. Cæterum, quia decretum illud intentivum erat quasi conditionatum, de eo, quod Christus admissurus erat formalem passibilitatem, statimque constitueretur Redemptor hominum reparativus; ideo in hoc tertio signo, in quo constitutus est Redemptor hominum reparativus, habuit hanc passibilitatem formalem, eamque habuit Christus Dominus vi decreti executivi respicientis substantiam cum omnibus rei circumstantiis.

842. Objicies 8. instando simul solutionem: ex hac doctrina sequeretur, quod Christus initio vitæ habuerit impassibilitatem formalem, qua postea privatus sit acquirendo formalem passibilitatem; sed hoc dici non potest; ergo Adamus ex vi decreti intentivi habuit in statu innocentiae impassibilitatem formalem, qua postea privatus est in signo subsequente peccatum; ergo Christus etiam habuisset impassibilitatem formalem pro signo priori, qua postea privaretur in signo posteriori. Respondeo nego maj. ad probationem omitto antec. & nego consequentiam; quia decretum Adami non fuit decretum præscindens ab eo, quod Adamus produceretur, vel non produceretur in statu innocentiae, sed fuit decretum producendi Adamum in statu innocentiae cum omnibus donis propriis illius status; unde si unum ex illis donis supponatur fuisse formalem impassibilitatem, eam habuit Adamus ex vi decreti sui intentivi. Quamobrem in hac hypothesi decretum illud intentivum Adami non præscindebat à prima collatione, sed à conservatione impassibilitatis; quam amissurus erat, si præceptum transgrediretur, ideoque ex libertate, qua poterat transgredi, vel non transgredi præceptum, poterat quoque id ponere, à quo pendeat, ut conservaret, vel non conservaret impassibilitatem; at decretum intentivum Christi Domini non fuit de producendo efficiaciter Christum cum impassibilitate, sed producendo cum formali impassibilitate, casu, quo non veniret Redemptor hominum reparativus; cumque ita venerit Christus, productus est non quidem cum impassibilitate, sed cum passibilitate formali.

843. Objicies 9. instando iterum solutionem: decretum intentivum Christi non potuit præscindere à passibilitate formali; ergo vi illius Christi productus est cum passibilitate formali. Probatum antec. Passibilitas formalis naturæ

humanæ est proprietas, seu ratio necessarii consecuta ad humanitatem, & ideo inter signum, & instans naturæ, pro quo intelligitur existeret passibilitas; nullum mediat instans rationis, pro quo natura liberè operetur: signa enim, seu instantia rerum necessariorum priora sunt signis, & instantibus rerum liberarum; at qui decretum intentivum de Christi productione fuit de assumptione naturæ humanæ; ergo in eodem signo fuit de assumptione passibilitatis formalis. Confirmatur. Ideo non potuit Christi humanitas mereri unionem hypostaticam per actus naturæ tantum priores ipsa unione, quia unio cum propria subsistentia est quid necessarium consequens humanitatem, eaque de causa spectat ad signum necessarium; ac unio ad subsistentiam Verbi, quæ loco propriae subsistentiæ substituitur in eodem signo, non potest esse in signo sequenti, quia potest ad necessaria; ergo inter signa necessariorum nequit interponi signum liberorum; ac proinde Christus nunquam potuit esse intentus absque passibilitate formali. Hoc argumentum, quod difficile censet Bernal disp. 59. sect. 1. est valde debile, quod in Beatis omnes solvere tenentur, atque in ipso Adamo, si in statu innocentiae habuit formalem impassibilitatem. Quare

Respondeo nego antec. ad probationem illam maj. necessario consecuta necessitate metaphysica, nego, necessitate purè physica, conc. maj. & dist. min. fuit de assumptione naturæ humanæ absque dote impassibilitatis proveniente à D E O auctore supra naturam, ne impediretur passibilitas formalis, nego, præscindendo à collatione, vel exclusione talis dotis, conc. min. & nego consequentiam. Ad Confirmationem nego antec. nam humanitas Christi ideo non potuit mereri illam unionem hypostaticam, quia subsistentia non solum exigitur physice à natura substantiali, sed metaphysice, cum sit modus substantialis essendi, ut constat à num. 603. sine quo, vel ejus supplemento substantiali nequit natura esse proxime operativa, neque potest sine illa divinitus existere, ad eum modum, quo sine aliqua ubicatione existere non potest: hoc autem dici non potest de passibilitate formali, cum certum sit eam non exigi metaphysice à natura; etenim natura humana corporis gloriosi habuit in vita passibilitatem formalem, quam in patria non retinet, sed potius retinet formalem impassibilitatem; unde formalis passibilitas non exigitur à natura humana metaphysice, sed tantum physice.

Quamobrem proprietates, quæ ex natura rei dimanant à natura, solum dicuntur esse pro priori signo naturaliter ante operationem liberam, si præcedat decretum divinum non impedendi naturalem exigentiam naturæ, quia hinc natura instructa est omnibus suis proprietatibus naturalibus ante ullam liberam ipsius operationem: at si præcedat decretum Dei de condenda natura præscindendo ab eo, quod posita aliqua li-

bera naturæ operatione conferatur, vel propellatur naturalis proprietatis, in eo casu signum liberorum erit pro priori ad signum collationis, vel exclusionis naturalis illius proprietatis, ut ex terminis patet; cum autem decretum Dei intentivum circa Christum ejusdem fuerit; siquidem decernebatur formalis impassibilitas, casu, quo Adamus liberè perseveraret in statu innocentiae, & passibilitatis formalis, casu quo Adamus liberè peccaret: exinde negari non potest, quòd illud signum liberorum, in quo constitutus fuit Adamus liber ad peccandum, & non peccandum, fuit pro priori ad signum, in quo decreta fuit Christo passibilitas formalis.

846. **Objicies 10.** Decretum intentivum Christi fuit quasi conditionatum, ut ipse redempturus fuisset totum genus humanum, si istud collocaretur in Adamo ut in capite, & ipse peccaret, atque ab ipso totum genus humanum inficeretur; ergo totum genus humanum eodem modo pendeat à Christo Redemptore; atqui plures hominum à Christo Domino pendeant determinatè in Adamo determinatione præcedente signum Passionis Christi; ergo omnes ita præcedebant, nullusque hominum fuit prædefinitus pro signo posteriori ad Passionem Christi, ac proinde hac saltem parte rejicienda est series decretorum necessaria. Resp. conc. ant. & dist. conseq. eodem modo pendeant, id est nullus hominum producendus erat nisi ex meritis eodem modo applicatis, nego conseq. nisi ex meritis Christi Domini, C. quia, ut suprà dixi, aequaliter fuerunt applicata merita Christi independentè à Parentum Oratione respiciente Christum jam passum, aequaliter verò non ita, sed dependentè à tali Oratione Parentum. Quare merita Christi non fuerunt eodem modo applicata pro omnium hominum productione; unde Sanctus Franciscus de Paula, & alii, quos Parentum Orationes impetrarunt à Christo per merita Passionis ipsius jam exercitè habuerunt applicata merita Christi diverso modo, ac alii, qui antea jam erant prædefiniti absolute. Videantur Cardin. de Lugo disp. 1. à n. 28. Aldrete disp. 9. sect. 1. & Rev. P. Thyrsus Tom. 3. disp. 1. sect. 5. ex quibus omnibus concessa min. subjuncta ratio consequitur; quia eò ipso, quòd licet omnes penderent à meritis Christi, non tamen eodem modo applicatis, sed applicationibus pertinentibus ad diversa signa, poterunt aliqui videri absolute futuri in uno signo, in quo nondum alteri videbantur absolute futuri, sed in altero signo.

847. **Objicies 11.** instando simul solutionem: si unus hominum nasceretur vi Orationis Parentum pendentis à Christi Passione jam exercita, verè innumeri dici possent ita nati esse; siquidem ex illo uno oritur postea copiosa soboles, ut ex uno Isaac miraculose genito habuit Abraham copiosam multitudinem posterorum, qui omnes Christi meritis adscribendi erunt; sed hoc non ita contingit in humano genere; ergo &c. Respondeo nego maj. quia licet genera-

rio posterorum esset ex meritis Christi in radice, non tamen formaliter; nam postquam semel merita Christi ita applicata impetrarunt generationem unius, non est necesse, ut ita iterum applicentur ad generationem cæterorum, qui ex ipso nascuntur; ad hoc enim sufficit natura sine ullo novo miraculo; aliter Adversarii, qui ita arguunt, dicere cogentur, omne frumentum, quod habemus, & omne vinum esse non tantum in radice, sed specialiter, & formaliter ex Christi meritis miraculose applicatis; quia uno anno ex meritis Christi ita applicatis pluit, & ex frumento illius anni habemus semen ad omnes annos subsequentes.

848. **Objicies 12.** Tota series decretorum à nobis exposita fieri quàm optimè potest unico virtualiter indivisibili divinæ voluntatis decreto; ergo absque necessitate distinguimus diversa signa, & decreta virtualiter distincta. Probat antec. Decretum intentivum Christi quasi conditionatum, simulque regulatum ab infinita, & clarissima scientia simplicis intelligentiæ, qua DEUS clarè, & distinctè cognoscebat singula possibilia, simulque intendebat, ut ex meritis Christi producerentur reliquæ creaturæ, & quòd positis his, vel illis conditionibus fierent ea, quæ facta sunt, & quòd positis aliis conditionibus fierent alia, quæ facta fuissent; hæc enim perfectio decernendi negari non debet decreto Dei intentivo ab illa infinita, & clarissima DEI scientia regulato: sed exinde sufficiens fuit unicum istud decretum intentivum indivisibile ad rotam, & integram seriem à nobis expositam; ergo &c. Probat min. Decretum intentivum quasi conditionatum cum impleta conditione, vel quasi conditione manet absolutum, ergo vi hujus decreti positis conditionibus sequerentur absolute ea omnia, quæ facta sunt, ac proinde hoc indivisibile decretum sufficiens fuit.

849. Respondeo nego antec. ad probationem dist. maj. & quòd positis his conditionibus &c. ita ut esset efficax decretum, vi cujus apponerentur, vel non apponerentur tales conditiones, aut potentia proxima ad illas nego maj. vi cujus non ita apponerentur conc. maj. & dist. min. nego conseq. Ad probationem concedo antec. & nego conseq. quia si una ex conditionibus est, quòd ea posita eliciatur pro signo sequenti alterum decretum, malè inferitur, quòd primum intentivum sufficiat, & non requiratur aliud decretum; cum autem ita se habuerit illud decretum intentivum, ipsissima ejusdem decreti tendentia arguit, quòd non sit sufficiens illud tantum decretum ad totam seriem à nobis expositam, licet permittamus tendentiam decreti, quasi conditionalis ab Adversariis intentam; quòd autem ita se habuerit illud decretum intentivum, constat ex eo, quòd ratione sui non habuerit connexionem cum Christi meritis; aliter cum esset inevitabile ab anima Christi, non potuisset manere libera ad merendum, & non merendum; idcirco

circo illud decretum intentivum erat decretum de eliciendo decreto, quo Deus efficaciter amaret Christi merita à passione dependentia, si ea ponerentur ex talibus meritis efficaciter vellet ea omnia, quæ propter ipsa efficaciter voluit secundum ordinem à nobis expositum; decreta enim Dei efficacia, quæ absolute vocantur efficacia in hac providentia non tantum sunt efficacia extrinsecæ, qualis esset efficacia illius decreti, quasi conditionati adimpleta conditione, sed sunt efficacia intrinsecæ, ut plura ex illis subsequantur scientiam mediam, cum qua connectuntur, ac proinde sunt virtualiter distincta.

350. Quod autem plura sint in Deo decreta, non tantum extrinsecæ, sed intrinsecæ efficacia, est certa Theologorum sententia cum Augustino, & Thoma juxta illud Apostoli ad Ephesios 1. *Qui predestinavit vos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ; quod quidem propositum explicatur à Patribus & Theologis de decreto intrinsecæ efficaci impotente ex suis intrinsecis esse sine objecto, & conditione, quam respicit; quod etiam indicavit sanctus Leo Papa serm. 2. de nativitate, ubi ait: Opus fuit dilectissimi secreti dispensatione Concilij, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispensationem Sacramenta occultatione completeret, & homo Diabolica iniquitatis versutia actus in culpam contra DEI propositum non periret, & serm. 7. de passione: neque ulla poterat ratione turbari, quod ante aeterna secula, & misericorditer erat dispositum, & incommunicabiliter presinitum; decretum autem intentivum potest ex intrinsecis suis esse absque conditione, sub qua decrevit impassibilitatem Christo, & Adamo & absque peccato Adami, sub quo decrevit redemptionem reparativam; quod idem est de aliis decretis allatis à num. 827. & hæc decreta sunt reipsa virtualiter distincta: videatur Exim. Doctor in opusculis lib. 3. de auxiliis divinæ gratiæ c. 17.*

351. Opportunè quæres pro coronide tandem, quid respondendum sit ad aliquas auctoritates Div. Thomæ aliorumque Patrum, quæ contra immunitatem Deiparæ militare videntur; dicendum enim est, quòd si modò viderent legem Ecclesiæ de celebrando festo Conceptionis Deiparæ, ipsisque noruissent monumenta antiquitatis de traditione Apostolica & exceptio Tridentini, nihil aliud dixissent, nisi quod nos dicimus de Immaculata Deiparæ Conceptione, ut testatur Antistius; ut olim sanctus Ludovicus Beltrand. tempore suo dicebat: *Omnes antiqui Patres si modo viverent, dicerent scriberentque id quod nos sentimus de Immaculata Virginis Conceptione; siquidem S. Thomas pro regula certissima ponit 3. part. quæst. 2. art. 1. Ecclesiam non celebrare festum, nisi pro aliquo sancto; ex qua infert Beatam Virgi-*

nem natam esse sine peccato originali, quia videlicet Ecclesia ejus nativitatem celebrat. Quod etiam tradit 2. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. acceptique hanc regulam à Divo Bernardo in Epistola ad Lugdunem. Idcirco Joan à Sando Thoma nobil. Thomist. in 1. partem disput. 2. de doctrina S. Thomæ art. 2. ait: *postquam Ecclesia Romana celebrat festum Conceptionis loquendo in vi doctrinæ Div. Thomæ, oportet vice versa de his sententiis censere, & sic Div. Thomas censeret. Quod idem fateri tenetur Cajetanus, si consequenter loquatur patente argumenti inductus: nam cum Div. Thomas 2. 2. quæst. 46. art. 7. ad 3. docet, Clericus etiam si se defendendo, interficiendo alium quem irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed se ipsum defendere, Cajet. ad Clem. ad hunc loc. valde bene advertit in responsione ad 3. in eodem articulo: *considera, quod materia est juris positivi irregularitas, & novo jure in Clement. unica de homicidio statutum est, non is, qui aliter mortem evitare non valens suum occidit invasorem irregularis non est, quæ sententia si tempore Auctoris extitisset hoc Auctori non scripsisset.**

Hæc enim responsio applicari debet ipsi sententiæ ad quemcunque antiquum Auctorem, qui contra Deiparæ immunitatem scripserit, dicendo, quæ lex Ecclesiæ de celebranda Virginis Conceptione si tempore Auctoris extitisset, non scripsisset hoc Auctor; tum etiam: quæ traditio Apostolica, & exceptio Tridentini, si tempore Auctoris ei innotuisset, non scripsisset id Auctor: quæ uia solutione facile se expediet ab omnibus, quæ possunt ex Patribus excogitari in oppositum. Argumenta verò, quæ contendunt, Deiparam non potuisse redimi, si non incurrisset peccatum, dissolvuntur æquè facile, dicendo non potuisse redimi redemptione reparativa, bene verò preservativa. Sic Augustinus in illud supra Psalmum 88. *Eruiisti animam meam ex inferno inferiori, ita dissierit. Eruiisti dixit, quia liberavit à talibus peccatis, per quæ possent deduci ad tormenta inferni inferioris; quemadmodum, si medicum videat imminuentem tibi agriitudinem, forte ex aliquo labore, & dicat parce tibi, sic te trahis, requiesce, his tibi utere, nam si non feceris egrotabis: tu si feceris, & salvus fueris; velis dicis medico, liberasti me ab agriitudine, non tu qua jam eras, sed in qua futurus eras.* Quod etiam prævidit Cajet. & ad suorum Thomistarum instructionem scriptum reliquit cap. 2. quæst. 81. art. 3. his Verbis; *neque enim saltem redemptione eget actualiter captivum, sed etiam obnoxium captivitatibus, & hæc tu bene nota Thomista ne nimio Zelo, non secundum sententiam accensus erronea dicas, quæ erronea non sunt, cum de Beatissima Virginis Conceptione disputas ant*

pradicas.
* * *